

piis & conclusionibus artium & scientiarum à sapientibus
 discordat; laborans circa apparentias in Sophismatibus] sub-
 tilitatibus, & de quibus sapientes non curant. In propriis i-
 gitur velsecretis vulgus errat; & sic dividitur contra sapien-
 tes; sed in communibus animi conceptionibus, sub lege o-
 mnium continetur, & cum sapientibus concordat. Com-
 munia verò paucisunt valoris, nec sunt propter se quæren-
 da, sed propter particularia & propria. Sed causa huius la-
 rentiæ vulgi fuit apud omnes sapientes, quia vulgus deridet
 sapientes, & [negligit] secreta sapientiæ, & nescit uti re-
 bus dignissimis: atque si aliquod magnificum cadat in eius
 notitiam à fortuna, illud pervertit, & eo abutitur in da-
 mnum multiplex personarum atque communitatis. Et ideo
 insanus est qui aliquod secretum scribit nisi ut à vulgo cele-
 tur, & vix à sapientibus & studiosissimis possit intelligi. Sic
 cucurrit tota sapientum multitudo à principio, & multis
 modis occultaverunt à vulgo sapientiæ secreta. Nam ali-
 qui per characteres, & carmina occultaverunt multa, alii
 per verba ænigmatica & figurativa, ut Aristoteles dicit
 in libro Secretorum. O Alexander, volo tibi ostendere
 secretorum maximum, & divinà potentia iuvet te ad ce-
 lndum arcanum, & perficiendum propositum. Accipe
 igitur lapidem qui non est lapis, & est in quolibet loco,
 & in quolibet tempore: & vocantur ovum philosopho-
 rum, & terminus ovi. Et inveniuntur in multis libris
 & scientiis innumerabilia, talibus sermonibus obscurata,
 ut nemo intelligat sine doctore aliquo. Tertio occulta-
 verunt per modos scribendi, scilicet per consonantes tan-
 tum, ut nemo sciat legere, nisi sciat significata dictionem, si-
 eut Hebræi, & Chaldaei, & Syri, & Arabes secreta, imo qua-
 si omnia pro maiori parte sic scribuntur: & ideo magna est
 sapientiæ occultatio apudeos, & maximè apud Hebræos:
 quoniam Aristoteles dicit in libr. memorato, quod Deus de-
 derit iis omnem sapientiam antequam fuerunt. Philosophi,
 & ab Hebræis omnes nationes habuerunt philosophiæ prin-
 cipium. Et Albumasar in libro introductorii maioris, & alii
 philosophi, & Iosephus primo & octavo libro Antiquitarum
 hoc manifeste docent. Quarto accedit occultatio per mixtio-
 nem literarum diversi generis. Nam sic Ethicus Astrono-
 mus suam sapientiam occultavit, eo quod literis Hebræis,
 Græcis, & Latinis eam conscripsit in eadem serie scripturæ.

Quinto

Al. va-
 cans So-
 phismati-
 bus & in-
 utilibus.

Deeras in
 alio ex-
 emplo.

modi occur-
 -tandi.

Ab. iste trax
 ori sapientia